

Notat quoque Thomas Sanchez loco supra citato n. 10. quod si non disputetur de validitate Sponsalium, sed Sponsalia certa sint, atque de iis constet, potest iudex secularis ad ea compellere, quamvis juramento confirmata sint: sicut cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam.

XI. Sponsalia quae solo consensu inita sunt, & haecenus solo partium consensu subsistunt, etiam solo utriusque consensu solvi possunt, juxta illud vulgatum: nihil tam naturale, quam unumquodque dissolvi eo modo, quo colligatum est *L. 35. ff. De Regulis Juris*; quod & procedit, tametsi juramento firmata sint; quia juramentum ipsam naturam contractus non immutat *Cap. 2. de Sponsalibus*; ubi id exemplo societatis juramento firmatae decidit Pontifex.

XII. Fallit nihilominus haec regula in Sponsalibus Impuberum, quae ex positiva Juris dispositione dissolvi, etiam mutuo consensu, non possunt, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint *Cap. 8. de Dispensat. Impuberum*, idque statutum est, ob inconstantiam & levitatem puerorum, ne quotidie nova contrahant sponsalia, & rursus ab iis resiliant.

XIII. Ulterius sponsalia puberum licet ab initio valida, frequenter ex causa superveniente, etiam praeveniendo mutuum consensum, solvuntur; tametsi juramento fuerint firmata quemadmodum Januensi Archiepiscopo respondit Innocentius III. in *Cap. 25. de Jurejurando*, solvi hujusmodi Sponsalia, si sponsa fuerit fornicata "quoniam (ait) in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit." Idem esse si mulier post contracta Sponsalia fieret non tantum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos aut nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, manifeste supponit ibidem Pontifex.

XIV. Pro quo tamen notandum, non sufficere ad dissolutionem Sponsalium, quod superveniat aut deregatur talis circumstantia, quae si praescita fuisset, Sponsalia inita non fuissent: quia certum est, multa posse sufficere, ut contractus nondum initus iniri non deberet, nec iniri conveniret; quae nullatenus tamen sufficiunt, ut contractum dissolvant: eo quod contractu nondum inito plena sit libertas non contrahendi; quae libertas non subest, postquam contractus fuit perfectus.

XV. Itaque ut judicetur, an ob supervenientem aut detectam aliquam circumstantiam, Sponsalia censentur esse soluta; ipsique Desponsi aut alteruter eorum ab obligatione soluti, expendendum, an tales personae secundum prudentis judicium talibus verbis, & in talibus circumstantiis consensum ante datum censentur extendisse ad casum quo talia superveniunt, Sponsalia non solvuntur. Si non censentur extendisse ad istum casum, dicendum est, quod solvantur.

XVI. Hinc non difficile est colligere, multa posse etiam sine ulla culpa alterutrius supervenire, quae Sponsalia dissolvant, sive ex parte sponsae sive sponsi: item quaedam etiam esse, quae quidem praescita impedivissent Sponsalia contrahi, quae tamen supervenientia jam inita Sponsalia non dissolvant.

XVII. Adhaec, non difficile intelligitur, quod dum de dissolutione Sponsalium agitur ob supervenientem aut detectam aliquam circumstantiam expendendas esse conditiones & qualitates personarum: quandoquidem dubitari nequeat, quin ex diversitate personarum natum sit contingere, ut consensus in Sponsalia censentur, vel non censentur extendisse ad casum, quo similia supervenissent, aut detecta fuissent.

XVIII. Illud quoque expendendum, quibus verbis, & quomodo Sponsalia inita sint. Quo enim verba fortius expriment voluntatis firmitatem atque constantiam; ut si juramentum quoque accedat; quo insuper magis praeveni-

ditate majorique cum solemnitate, eo difficilius ordinari dissolvuntur; & consensus ad plura postea supervenientia fuisse extensus merito praesumitur.

Haec omnia secum expendere, & prudenti judicio expendenda committere debet, ut quis à Sponsalium obligatione se in conscientia coram Deo solutum existimet. Si autem coram iudice in foro exteriori agatur, haec iudici expendenda & ponderanda erunt, nisi late deducit Zypaeus *Consul. 1. de Sponsalibus*, ubi ostendit, admodum difficulter ex parte sponsi dissolvi Sponsalia, si ultra promissionem defloratio sponsae secuta sit.

XIX. Verum & hoc notandum, quod etsi ratione alicujus supervenientis circumstantiae solvantur Sponsalia ex parte unius, non propterea semper solvi ex parte alterius. Ita fornicatio sponsi tollit obligationem ex parte sponsae, non tamen eam tollit ex parte sponsi: sed hic sponsalia adimplere tenetur, si ipsa velit. Idem in paupertate, lepra, infamia, & similibus supervenientibus locum habere debet.

XX. Sponsalia de futuro solvi, licet illicitè, per Matrimonium cum secunda, tamquam per fortius vinculum, deciditur in *Cap. 32. de Sponsalibus*; eatenus nimirum, quod Matrimonium, non obstantibus Sponsalibus prius initis, subsistat; & secundam hanc uxorem habere debeat.

Sed licet ipsa sponsa mox à contracto Matrimonio per sponsam à Sponsalibus liberetur, possitque libere cum alio contrahere; nequaquam tamen ex parte sponsi Sponsalia planè soluta sunt; sed dumtaxat pro tempore durantis hujus matrimonii effectus ipsorum suspenditur: atque ideo Matrimonio per mortem uxoris soluto, rursus reviviscunt; & si sponsa velit, sponsus in vim Sponsalium eam ducere tenetur: ut rectè notavit Andreas Vallensis ad hunc titulum Novo titulo *De Sponsalibus num. 8.*

Similiter, si alteruter Desponsatorum ingrediatur Religionem, mox ab ingressu, etiam ante professionem, solvuntur Sponsalia ex parte non ingredientis; ut nimirum liberum ei sit cum alio contrahere; sed ex parte ingredientis tantummodo suspenduntur, quamdiu in Religione permanerit; sed si eam deseruerit, reviviscit ex parte ipsius obligatio: ut rectè notavit Andreas Vallensis ad hunc titulum *S. 4. num. 2.*

XXI. Sponsalia quoque ex parte solius sponsae solvuntur, si sponsus patriam deserat, & se ad alias partes transferat, uti respondit Pontifex in *Cap. 5. de Sponsalibus*. Quanti temporis autem absentia requiratur, ut hoc titulo sponsa libera censentur à promissione sua, nullibi determinatur; sed arbitrio iudicis relinquitur; nisi certum tempus, intra quod Matrimonium contrahi debeat, Sponsalibus adjectum sit: eo enim elapso, certum est, Sponsalia ulterius non obligare. *Cap. 22. de Sponsalibus.*

XXII. Inspecto jure communi, ad solutionem Sponsalium non requiritur sententia iudicis, aut solemnitas aliqua, praeter utriusque Desponsatorum consensum. Ritualia Belgica autem nolunt Sponsalia propria Desponsatorum auctoritate solvi.

Non consentiant Parochi (ait Rituale Mechliniense) ut illi qui in aetate legitima constituti Sponsalia contraxerunt, se mutuo ab ejusmodi promissione futurarum nuptiarum, propria auctoritate absolvant; sed illos spiritualis Curiae Promotori dentent: ut causa per Episcopum ejusve Officiale discussa, si ea secundum juris dispositionem legitima sit, ab ejusmodi promissione absolvantur.

Idem habet Manuale Cameracense. Et Synodus Cameracensis anno 1604. *tit. 12. cap. 9.* ait, "Sponsalia contracta non dirimant Parochi, sed rei cognitionem ad Officiale nostrum remittant." Id ipsum habent Synodi Audomariensis *tit. 10. cap. 8.* & Bulcoducensis sub Masio *tit. 10. cap. 18.*

Haec verò intelligi oportet de Sponsalibus publicis & coram Ecclesiae ministro ritu solemniter contractis: quibus dum Ecclesia semel manum apposuit, nihil se inconsultè fieri

fieri permittit. Impeditur etiam hoc pacto levitas, quae aliter in re tam gravi, & frequenter non sine scandalo aliisque incommodis interveniret.

CAPUT III.

De Proclamationibus, seu Bannis Matrimonialibus.

1. Quid significet vox Bannum.
2. Bannum jam pridem in Ecclesia Gallicana sumptum fuit pro Proclamatione Matrimoniali.
3. Proclamationes illae in aliquibus Ecclesiis receptae, extensa sunt ad omnes per Concilium Lateranense.
4. Earum usum probavit Synodus Tridentina.
5. Proclamationes faciendae post contractum Sponsalia ante contractum Matrimonium.
6. Scopus Proclamationum requirit, ut fiant in Parochis utriusque contrahentis.
7. Quid ex praescripto Synodorum & Ritualium observandum dum Desponsi sunt diversarum Parochiarum, Decanatum, aut Episcopatum.
8. Quid servandum quando Desponsi domicilia mutarunt, aut plura habent domicilia.
9. Quibus diebus fieri debeant?
10. Debent fieri quando populus est maxime attentus, & voce intelligibilis.
11. Populus monendus ut impedimenta etiam occulta revelet.
12. Idque etiam si judicialiter probari nequeant, interdum tamen revelatio omittenda.
13. Desponsi in confessione de impedimentis interrogandi; cavenda tamen revelatio confessionis.
14. Synodus Tridentina non irritavit Matrimonium omnibus Proclamationibus contractum.
15. Neque in Gallia hujusmodi Matrimonium est invalidum.
16. Synodus Tridentina permittit Episcopis dispensare super Proclamationibus.
17. Unicam causam dispensandi expressit Synodus Tridentina.
18. Duplicem cautionem addit Synodus; quarum una hic in Belgio non observatur.
19. Synodus Tridentina desiderat, ut Episcopi in concedenda dispositione sint admodum moderati.
20. Quae fuerit in his concedendis moderatio S. Caroli.
21. An ad evitanda maleficia concedenda dispensatio?
22. Quid in Gallia circa hanc dispensationem habeant Edicta Regia, & quae sit praxis?
23. Optandum ut raro dispensaretur, idque innuunt Synodi Belgicae.
24. Qua cautione Parochi testimonium dare debeant pro obtinenda dispensatione.
25. Perniciosus est abusus, dispensare indifferenter sine gravi causa super omissione Proclamationum.
26. Hunc abusum abolere posse ostendit praxis plurimum Diocesum; nec non praxis Haereticorum in Provinciis Unitis.
27. Quid circa haec Parochi facere debeant?

Hujus vocabuli Bannum, non una, sed multiplex apud Scriptores, & in antiquis tabulis est notio, ait D. Du Cange in Glossario verbo Bannum; sed potissimum Bannum trino significatu a plurimum accipitur. Ac primo quidem pro edicto publico; rursum pro multa judiciaria; tertio pro districtu ac iurisdic-

tionem. Quas notiones ibidem latius expendit, & ex veteribus Scripturis & monumentis deducit citatus Auctor.

II. Itaque Bannum jam pridem, praesertim in Ecclesia Gallicana, acceptum fuit pro Proclamatione seu Edicto, quo Matrimonium proclamatur, sive edicitur, ut si quis futuro Matrimonio, quod publice proclamatur; aliquid opponendum sciat, edicat, sive opponat; quemadmodum manifestè insinuat Innocentius III. in *Cap. 27. de Sponsalibus*, rescribens Episcopo Baluacensi, praesertim si legatur Decretalis ut extat in veteri collectione apud Antonium Augustinum, ubi haec leguntur: "Sanè quia contingit interdum quòd aliquibus volentibus contrahere Matrimonium, Bannus, ut tuis verbis utamur, in Ecclesiis, secundum consuetudinem Ecclesiae Gallicanae editis" &c. Quae postea verba omisit Raymundus, è quibus interim post Cujacium elicit Filescus libro *De Origine Parochiarum cap. fin.* Proclamationum seu Bannorum matrimonialium institutum ab Ecclesia Gallicana ad ceteras manasse.

III. Quidquid sit, illud constat, quod tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, utis Proclamationum seu Bannorum matrimonialium tantum in quibusdam Ecclesiis etiam notus: nec demum ad omnes Ecclesias per Decretum hujus Concilii in *Cap. 3. de Claustrina Desponsatione* sit extensus.

Intelligens enim Concilium, frequenter contingere, ut contrahendo clandestinè, ob occultum dicimur impedimentum, Matrimonia nulliter contraherentur, "speciatim quorumdam locorum consuetudinem (ait) ad alia, generaliter prorogando statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros proponantur competenti termino praefinito, ut infra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat.

IV. Synodus Tridentina similiter desiderans occurrere multiplicibus incommodis, quae ex Matrimoniis clandestinis quotidie oriebantur, dicti sacri Concilii Lateranensis vestigiis inherendo praecipit, "ut imposterum antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.

V. Vult Synodus, Proclamationes fieri antequam Matrimonium contrahatur, id est, postquam Sponsalia jam publice & coram Parocho contracta sunt; aut si clandestinè inita sint, saltem Parocho de consensu in Matrimonium sufficienter constet.

Quando aliter quam coram proprio Parocho Sponsalia contracta sunt, Matrimonii denuntiationes non ante ab eo fiant, quam ipsimet sponsus & sponsa id exigant, aut coram assensum praebent. Qui quidem assensus, si non ejusdem Parochiae sint à proprio cujusque Parocho cognosci, atque alteri ab altero testimonii litteris significari, debet: Haec Synodus Diocesana Mechliniensis *titul. 9. cap. 9.*

VI. Cum scopus harum Proclamationum seu Bannorum sit, detegere impedimenta Matrimonii contrahendi, merito requirit Synodus, ut non tantum illa fiant ab alterutriusque contrahentis Parocho, sed à Contrahentium, id est, utriusque proprio Parocho, si Desponsi diversae Parochiae fuerint; quod expressè notavit Rituale Romanum, & nostra Ritualia Belgica, nec non Synodi fieri praecipunt.

VII. Vult Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 10. cap. 3.* "Quandocumque Matrimonium contrahere volentes sunt diversarum Diocesum, Decanatum, vel Parochiarum, Parochus unius ad Matrimonii solemnizationem non procedat, nisi & omnes proclamationes in Ecclesia sua fecerit, nullumque intellexerit Canonieum impedimentum; & similiter Parochum alterius desponsorum omnes

tres proclamationes feciſſe, & nullum Canonicum impedimentum denuntiatum eſſe, ex teſtimonio ejusdem Paſtoris certo cognoverit, vel de diſpenſatione Ordinarii ipſi conſulerit. Et ſi forte ſignaturam illius Paſtoris non noverit, & teſtimoniales ſibi exhibitas de falſo ſuſpectas habeat, exigat teſtimonium ſaltem unius perſonæ fide dignæ, quod teſtimoniales illæ ſint ſcriptæ vel ſubſignatæ manu ejus, à quo ſcriptæ, vel ſubſignatæ eſſe dicuntur; vel ſi hujusmodi teſtimonium haberi non poſſit, ſit, exigat juramentum ab altero deſponſorum, quem teſtimoniales illæ concernunt, quod eas à Parocho ſuo acceperit, vel ab eo ſcriptas eſſe ſciat. Et ſi quem hic perjurum eſſe, aut crimen falſi committere contigerit, iſ graviffimè puniatur.

Similia habet Rituale; addit tamen: "Si verò Deſponſi ſint diverſorum Episcopatum aut Decanatum, corroborandæ erunt literæ Parochi illius, qui Matrimonium non ſolemnizabit, Episcopi aut Decani Chriſtiani-tatis teſtimonio.

VIII. Ut verò finis proclamationum obtineatur, merito monet Synodus Diœceſana Mechlinienſis *tit. 9. cap. 8.* "Si Matrimonium contracturi in Parochia, in qua eſt moderata eorum habitatio, *breve* moram traxerint, ita ut ibi non ſint ſaus noti; et ſi ibidem Matrimonio jungi poſſint, nihilominus in Parochia, in qua priùs habitaverunt, ubi veriffimè eſt fore ut impedimenta ſciantur, denuntiationes omnes fieri volumus.

Hæc Synodus, ubi & in margine notatur, Congregationem Concilii Tridentini ita reſpondiſſe. Sanè menti Concilii Tridentini conforme eſſe, ut ſi quis plura habeat domicilia in diverſis Parochiis, ſiant denuntiationes in ea, in qua diutius habitat, & principalem habet larem, vel potius in ea, in qua veriffimè eſt ſciri impedimenta, pluribus civitatibus auctoribus reſolvit Barboſa *De Officio & poteſtate Episcopi parte 2. Allegat. 2. num. 11.*

IX. Denuntiationes ſeu proclamationem Synodus Tridentina fieri vult diebus feſtivis; idque in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia; quando nimirum ſolet eſſe major populi concurſus; ut ita Matrimonium contrahendum magis innotescat; & impedimenta facilius detegantur; qui eſt hujus Decreti ſcopus.

Unde eas fieri poſſe alio die, quam feſto, ſi ob aliquam ſolemnitatem in Eccleſia celebrandam, quamvis ſine feſto in populo, *magnus* ad Eccleſiam fiat populi concurſus, reſolvit Barboſa aliique ab eo citati dicta *Allegat. 32. num. 15.* & ſat patenter ſupponit Synodus P. II. Mechlinienſis *tit. 10. cap. 2.* præcipiens, proclamationes fieri Dominicis, vel Feſtivis diebus ſub ſummo Sacro, vel concione, aut *ſub frequenſi populi conventu.*

X. Debent ergo ad mentem Synodi fieri ſub concione aut in Miſſa, quando ipſe populus ſolet eſſe frequentior & attentior; idque voce & idiomate ab omnibus intelligibili: qua de re anno 1663. in Congregatione Archipreſbyterorum Diœceſis Mechlinienſis Præſidente Archiepiscopo hæc reſoluta ſunt *art. 20.* "Proclamationes publicæ, quæ ad Matrimonium contrahendum prærequiruntur, ſiant *in initio* concionis aut poſt lectum in ea Evangelium, aut alio non minus *commodo* tempore, *alta* tamen ſemper & *intelligibili* voce, expreſſo nomine ulitato Deſponſandorum, & caveatur ne illa alterentur, aut in aliud idioma inſerantur ſub pœna arbitraria.

XI. Cùm hæc proclamationes unicè tendant ad impedimentorum detectionem, Parochi eſt, frequenter monere populum, ut ſi quæ impedimenta, etiam *occulta* ſciat, ipſi Parocho ſaltem revelet; ne alioquin ex ſilentio & occultatione reus reddatur omnium malorum, quæ ex Matrimonio cum impedimento præſertim, dirimente contracto, nata ſunt oriri.

XII. Neque excuſatur quis à revelatione eo ſolo titulo, quod illud ſubſe in judicio probare non poſſit: quia equi-

dem hujusmodi manifeſtatio impedimenti Parocho occaſionem dare poteſt ulterius inquirendi; qua inquisitione forſan ita detegat impedimentum, ut etiam in judicio probari poterit.

Ad hæc, licet forſan impedimentum nunquam ſic eſſet detegendum, ut *judicialiter* probari poſſet; nihilominus conducet ejus manifeſtatio, ut Parochus accipiat inde occaſionem ſedulo monendi Deſponſatos de longa illa peccatorum aliorumque incommodorum catena, cui ſe innectunt, qui cum impedimento dirimente contrahunt: qua monitione forſan fiet, ut ipſi contrahentes, aut alter eorum impedimenti conſcius illud fateatur, atque ita Matrimonium impediat.

Accedit, quod vel unius etiam teſtimonium de impedimento ſufficere ſoleat ad impedendum Matrimonium juxta diſpoſitionem juris in *Cap. 22. De teſtibus, & Cap. 12. De Sponſalibus*, idque ob periculum peccati quod ex Matrimonio ſic contrahendo timetur: de quo latè Sanchez de Matrimonio *lib. 1. diſp. 71.*

Poſſet nihilominus contingere, ut occulto impedimenti manifeſtatio fieri non deberet; ſi ſcilicet ex ipſa manifeſtatione graviffima mala merito timeantur; nullum verò aut valde exiguum bonum ex revelatione ſperetur: quod ex circumſtantis prudenti judicio metiendum eſt.

XIII. Monet quoque Synodus Audomarenſis *tit. 10. cap. 10.* ut ſub ſinem confeſſionis, quæ ſolemnizationi Matrimonii præmitti ſolet, "Parochus ultro penitentem roget, an nullam ſciat impedimenta. Non tamen (ait) quod à Parocho revelanda aut aperienda aliquando ſint peccata penitentis, aut ea per quæ in peccatorum illius notitiam veniant: ſed quod adduci eò & perſuaderi penitens poſſit, ut aut aperiat ipſe, aut aperiri permittat, propoſito ipſi, æterne ſalutis ſuæ hinc pendens diſcrimine. Nam ſi huc adduci non poteſt, neganda quidem ipſi eſt abſolutio à peccatis, ſed à Matrimonio, etiam ſi forte illud verè non inerat, invitus repellendus non eſt, quando res non niſi ex confeſſione nota eſt.

XIV. Quantumvis autem Synodus Tridentina enixè deſideret, ne Matrimonia ſine præviis hiſce Proclamationibus contrahantur; noluit tamen ab iis validitatem Matrimonii dependere; neque earum omiſſionem impedimentum dirimens eſſe, uti declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretes: & unanimi conſenſu fatentur Doctores, eique conformis ipſa quotidiana praxis; uti noviffimè oſtendit Gerbeſius Doctor Sorbonicus in ſuo Tractatu Gallico De Poteſtate Eccleſiæ & Principum circa impedimenta Matrimonii.

XV. Offendit quoque in Gallia Matrimonia contracta ſine præviis proclamationibus aut legitima diſpenſatione haberi pro *validis*, non obſtante *articulo 40.* Ediſti Bleſenſis, quo ita decernitur: "Ad occurrendum abuſibus & damnis, quæ ex Matrimoniis clandestinis oriuntur, decrevimus, & decernimus, quod ſubditi noſtri, cujuſcumque ſtatus, qualitatis & conditionis exiſtant, contrahere *validè* non poterunt, ſine publicis *Bannorum* proclamationibus cum competenti temporis intervallo: "id enim intelligendum eſſe, *valida* non eſſe quoad effectus *civiles*, ex variis auctoribus Gallicis nec non Parlamentorum Arreſtis oſtendit *pag. 500.* & ſequentibus, edit. 1696.

XVI. Poſt hæc ſubjungit Synodus Tridentina: "Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium *maluoſè* impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebratur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia ſiant, ut, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio ſancta Synodus relinquit.

Hoc Decreto permittit Synodus, diſpenſationem ſuper denuntiationibus diſpenſari; tuncque etiam cautè, ut ſi for-

denuntiationibus ipſi Ordinario, id eſt, Episcopo Diœceſano; quem hoc loco per Ordinarium intelligi, non autem alios inferiores Prælatos, jurisdictionem quaſi Episcopalem habentes, oſtendit Fagnanus ad *Cap. 3. De Clauſtura Deſponſat.* atque ita à ſacra Congregatione, probante Gregorio XIII. reſponſum fuiſſe teſtatur.

XVII. Unam duntaxat cauſam diſpenſationis expreſſit Synodus, nimirum cum advertitur periculum, Matrimonium *malicioſè* impedendum, ſi tanto tempore diſſerendum ſit, quoſque tres denuntiationes præceſſerint.

XVIII. Addit nihilominus duplicem limitationem Synodus. Una, ut tunc ſaltem una denuntiatione præcedat, Altera, ut ſi periculum tale ſit, ut nec tantillo tempore diſſerri queat, permittatur ſine prævia denuntiatione Matrimonium ſolemnizari; ſed ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia ſiant. At poſterior cautio hinc in Belgio non ſolet adhiberi teſte Zypæo titulo *De Sponſalibus num. 10.* dicitque quod non audiverit umquam, poſt contractum jam Matrimonium proclamationes fuiſſe factas.

XIX. Ad hæc, tametsi dubitari nequeat, quin præter cauſam expreſſam, crediderit Synodus poſſe alias cauſas occurrere, quæ diſpenſationem in una aut pluribus, aut etiam omnibus proclamationibus requirant, cùm id relinquitur iudicio ipſius Ordinarii; nihilominus ſat oſtendit, Ordinarium debere eſſe admodum moderatum in relaxandis hiſce proclamationibus. Et proſectò qui attendit incommoda, quæ clandestina Matrimonia frequenter adferunt, haud difficulter agnoſcet, quod ſicuti juſtiſſimè ratione hæc proclamationes præmitti voluit Eccleſia, ita quoque merito velit, ſummam in diſpenſando ſervari moderationem.

XX. Sanctus Carolus in Concilio V. Mediolanenſi *parte 3. cap. 17.* ſolam cauſam in Synodo Tridentina expreſſam pro legitima agnoſcit; ac dein ſubiicit, "At verò ſi hæc cauſa non ſubeſt, quam obrem illas remittat, ea certe ſola quod inſtat ſacri Adventus Quadrageſimæ tempus, neque neceſſaria eſt, nec verò cum ratione conſentiens. "Rationem notandam ſubiiciens: "Cum præſertim eo ſacro tempore, qui jam Matrimonio juncti ſunt, ab illius uſu abſtinere potius conveniens ſit, nedum Sponſus una conjungi.

XXI. Synodus Rothomagenſis anno 1581. titulo *De Matrimonio* advertens diſpenſationes ſuper Proclamationibus frequentius peti ad cavendam maleſticia, quæ in celebratione nuptiarum nonnumquam dicuntur intervenire, eam cauſam ut inſufficientem rejiciens, medium aptius contra maleſticia ſuggerit, & ut dignè hoc Sacramentum recipiant, hortatur conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante conſummationem Matrimonii ſua peccata diligenter confeſtantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedant. Sacerdos verò ne ullum det maleſticia locum cautius & circumſpectius ſe gerat.

XXII. In Gallia Ediſto Bleſenſi *art. 40.* cautum eſt, quod Bannorum non poterit obtineri diſpenſatio, niſi poſt primam promulgationem factam; idque ſolum propter aliquam urgentem & legitimam cauſam, & ad requiſitionem præcipuorum & proximorum parentum ipſorum contrahentium.

Quamvis hic rigor hodie non niſi ſit mitigatus; atque ob neceſſariam cauſam nonnumquam in omnibus tribus denuntiationibus Episcopi diſpenſent: nihilominus ſi parentes alicui intereſſe habentes prætentandam, non fuiſſe legitimam cauſam remittendi omnes Proclamationes, admittitur appellatio *tamquam ab abuſu*, ob controventionem Ediſto Regio; ut poſt Carolum Fevretium *lib. 5. cap. 2. numer. 31.* notat Gerbeſius in citato tractatu *pag. 508.* una obſervans, rarò admodum ſuper tribus denuntiationibus diſpenſari; tuncque etiam cautè, ut ſi for-

ſan ſuper datâ diſpenſatione ſis intentata fuerit, rationes proferre Ordinarii queant, quibus juſtam fuiſſe diſpenſationem doceant.

XXIII. Optandum eſſet (ait Gerbeſius) ut conformiter ad Ediſtum Bleſenſe, publicatio Bannorum fieret, & diſpenſatio non concederetur, niſi ad requiſitionem primariorum & proximorum parentum: id eſſet medium aptiſſimum, ad præveniendum Matrimonia clandestina filiorum-familias, quæ frequenter adeo turbant familias, atque rixis & libus intricant.

Synodi Belgicæ tam enixè præcipiunt Parochis hæc denuntiationes præmitti, ut non ſit obſcurum, quod earum publicationem ſummum momenti eſſe exiſtimarint; & per conſequens, non niſi *gravi* de cauſa in illis eſſe diſpenſandum ſuppoſuerint.

XXIV. Ad calcem Manualis Paſtorum compendioſè complectentis Canones & ritus Eccleſiaſticos pro adminiſtrandis Sacramentis juxta uſum Paſtoralis Mechlinienſis, extat formula ad ſcribendum teſtimonium pro iis qui egent diſpenſatione ſuper proclamationibus antenuptialibus; una cum quibuſdam reflexionibus ad inſtructionem Paſtorum, quas cum ipſa formula hic apponendas cenſui, ut ex hiſ appareat, quanta cum cautione ad diſpenſationem ſecundum regulas hic præſcriptas ſit procedendum.

Formula teſtimonii hæc eſt: "Facta per me infraſcriptum Rectorem Parochialis Eccleſiæ loci de... Diœceſis N. diligenti inquisitione apud perſonas fide dignas ſuper libertate N. N. & N. N. ſubditorum præſentis Parochialis, cupientium inter ſe ritè contrahere Matrimonium, ſcio & teſtificor eos ad id eſſe liberos & ab eo non prohiberi per aliquod canonicum impedimentum. Inſuper ipſos eſſe boni nominis & famæ, & in Catholica fide quam profitentur, eſſe ſufficienter inſtructos, uti per examen deprehendi: denique eorundem Parentes conſentire in prædictum prætenſum Matrimonium, pro ut ex ore eorundem Parentum coram didici. Et quia prædicti nupturientes excurrunt ut gratiam diſpenſationis obtineant & allegant pro cauſa quod &c. Fidem facio cauſam illam revera ſubeſſe. Datum &c.

"Dicitur ſupra apud perſonas fide dignas, quia non oportet ſtare dicto ipſorum nupturientium qui ſoli in propria cauſa non ſunt idonei teſtes; ſed neceſſum eſt audire & examinare eorum parentes propinquos, con-domesticos, vicinos, dominos, ac alios ſimiles.

"Dicitur præterea eorundem parentes conſentire: debet de hoc conſenſu conſtare parentes perſonaliter audiendo, quando id fieri poteſt, vel eos qui parentum loco ſunt. Aut ſi nupturientes ſint ſui juris, exprimat.

"Dicitur denique, & allegant pro cauſa: Cauſa hæc non debet eſſe ſutilis, ſed concludens, & debet D. Paſtor de ejus veritate teſtari, & nupturientes examinare num ſint Catholici, Confirmati, & num ea ſciant qua ſcitis ſunt neceſſaria ad ſalutem. Si neſciant, debet eos deſuper inſtruire, & non dimittere pro petenda diſpenſatione prædicta, niſi ea callent.

"Quod ſi nupturientes diverſarum ſint Parochiarum, eorundem reſpectivi Paſtores debent ſe conformare ſupra dictis.

XXV. Si hæc toties iterata Eccleſiæ mandata, nec nota mala quæ ex omiſſione proclamationum oriuntur, ſeridè attendantur, apparebit facile illud, qui in quibuſdam Diœceſibus inolevit, diſpenſationum uſum eſſe ſummum ac perniſioſum abuſum, nullâ conſuetudine, quæ potius corruptela dicenda eſt, juſtificandum; ipſiſque Episcopis omnino allaborandum eſſe, ut tam nocivus abuſus tollatur, atque Regula Eccleſiæ toties iterata & inculcata ſerventur.